

PHILIPPI A LIMBORCH


SS. Theologiæ inter Remonstrantes Professoris

HISTORIA
INQUISITIONIS.

Cui subjungitur

LIBER
SENTENTIARUM
INQUISITIONIS
THOLOSANÆ

Ab anno Christi cloccevii ad annum clocccxxiii.



BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DI BOLIGNA

AMSTELODAMI;

Apud HENRICUM WETSTENIUM.

• c l o l o c x c i i .

T A B E L L A

Repræsentans quales fuerint, in quos sententiæ, hoc libro comprehensæ, pronuntiatae sunt.

- A folio 1. usque ad fol. 92. b. omnes *Albigenses*.
 fol. 92. b. Stephanus Porcherii *Valdensis*, primus eorum in hoc volumine.
 fol. 94. ad 96. *Albigenses*.
 fol. 96. Joannes Brayssan *Valdensis*.
 fol. 100. b. ad 102. *Valdenses*.
 fol. 102. ad 104. *Albigenses*.
 fol. 104. ad 108. *Valdenses*.
 fol. 108. b. *Albigensis*.
 fol. 109. *relapsus ad Judaismum*.
 fol. 109. ad 117. *Valdenses*.
 fol. 118, 119. *Albigenses*.
 fol. 119. b. *Valdensis unus*.
 fol. 120. b. *Albigensis defunctus*.
 fol. 122. *Rusticus propria auctoritate Missam celebrans. ibid. Albigensis*.
 fol. 122. b. *Valdensis*.
 fol. 124. b. ad 128. b. *Albigenses*.
 fol. 128. b. ad 130. b. *Valdenses*.
 fol. 130. b. *Albigensis*.
 fol. 132. *Qui se opposuit Inquisitioni*.
 fol. 136. b. *Valdensis degradatus*.
 fol. 138. b. ad 145. *Qui se opposuerunt Inquisitioni*.
 fol. 145. *Albigenses*.
 fol. 146. ad 148. *Valdenses*.
 fol. 150. b. *Beguini*.
 fol. 168. *Albigenses*.
 fol. 171. Petrus Lucensis Hyspanus, *Apostolicus*.
 fol. 171. b. *Valdenses*.
 fol. 172. b. 173. *Albigenses*.
 fol. 173. b. *Valdenses*.
 fol. 176. *Albigenses*.
 fol. 178. *Valdenses*.
 fol. 183. *Apostolicus Petrus Lucensis Hyspanus*.
 fol. 186. *Valdenses*.
 fol. 196. *Beguini*, ad finem usque.

Monitum volo Lectorem, numerum foliorum hic & in reliquis Indicibus, qui hunc Sententiarum Librum comitantur, esse adscriptum ex ipso volumine manuscripto, quem numerum in margine pagg. expressum in hac editione videbit.

L I B E R

S E N T E N T I A R U M

I N Q U I S I T I O N I S T H O L O S A N Æ .

Anno Domini ccc°. vii°. quinto nonas Martii, dominica prima quadragesime fuit factus primus sermo per Fratrem Bernardum Guidonis Inquisitorem Tholosanum in Ecclesia cathedrali Sancti Stephani Tholose, convocata curia regali, & consulibus Tholosanis, & universitate Cleri & populi, ut est moris, in multitudine copiosa, & recepit juramentum curialium & consulum in hunc modum.

Juramentum Curialium Regis.

Nos Ugo Geraldus Doctor legum & miles Domini nostri Regis Francie, tenentes locum Seneschalli Tholose & Albigeni, & Yvo Doctor legum Judex Domini nostri regis Tholose, ac Joannes de Turre, serviens armorum Domini nostri regis, & Petrus Gaurandi Jurisperitus tenens locum Vicarii Tholose, juramus per hec sancta Dei Evangelia, quod fidem Domini nostri Jesu Christi & Sancte Romane Ecclesie tenebimus & teneri faciemus, & ipsam defendemus pro viribus contra omnes. ¶ Item, quod hereticos credentes, fautores & receptatores eorumdem, persequemur & capiemus & capi faciemus quandocunque poterimus, & accusabimus, & denunciabimus Ecclesie & Inquisitoribus, si alicubi noverimus eos esse. ¶ Item, quod non commitemus bavilias vel administrationes nec officia publica alicui de predictis personis pestiferis, nec suspectis aut diffamatis de heresi, nec alicui cui impositum fuerit ratione criminis heresis, quod publicis officiis non fungatur: nec aliquem de predictis recipiemus, nec habebimus in nostra familia, seu consortio, vel servitio, nec in nostro consilio scienter: & si forte contrarium factum fuerit ignoranter, illos, postquam ad notitiam nostram pervenerit protinus expellemus. Et in his & in aliis que ad officium Inquisitionis pertinent, erimus obedientes Deo, & Romane Ecclesie, & Inquisitoribus. Sic Deus nos adjuvet & hec sancta Dei Evangelia.

Eadem est forma Juramenti Consulum.

Nos David de Roaxio, Raimundus Arnaldi de Nugole, Alricus Maurandi, Arnaldus Boni, Raimondus Maurandi, Franciscus de Gaure, Petrus Raimondi de Garriga, Guilielmus filii, Bonus Mancipius Maurandi dominus de Garanhaga, Arnaldus Johannis de Gargatz, juramus per hec sancta Dei Evangelia, &c. ut supra immediate.

Educti fuerunt de muro cum crucibus.

Petrus de sancto Laurentio de Garrigijs † visitationes Tholose bis in anno, in Octabis pasche ecclesiam sancti Saturnini. In inventione sancti Stephani in Augusto, ecclesiam sancti Stephani. Et fuerunt sibi remisse peregrinationes propter debilitatem & senectutem ipsius.

¶ Tholosana uxor quondam Bernardi Ugonis de Roca Vidal. † peregrinationes minores contente in literis Inquisitoris, & visitationes Tholose ut supra, & generalia. Retenta potestate Inquisitoribus augendi diminuendi & mutandi predictam penitentiam & reducendi ad murum sine nova causa predictos si eis visum fuerit expedire.

lius Perreti de prato de barcio. † Johannes Vertelherii aliter cognominatus cala-
mandria. † Johannes de lartiga, qui moratur alias farrat, cognominatus lo fol de
marciaco. † Guilielmus de Maseriis aliter cognominatus de na genta sive de gor-
ran de marciaco. † Guido sive Guionetus carreteri burgundus de Marciaco.
‡ Tibaudus de barcio. † Johannes Unnardi filius Unnardi de Maseriis dyoecesis
auxitane. † Dudum nomine penitencie inmurati pro hiis que commiserant in cri-
mine heretice pravitatis nostris & ecclesie humiliter parendo mandatis fuerunt in mu-
ro jam annis pluribus conmorati, volentes eorum penam ac penitentiam misericor-
diter mitigare, ipsos superius nominatos à muri carcere de gracia relaxamus. In-
jungentes eisdem omnibus & singulis sub virtute à se jam dudum prestiti juramenti
in comunicacionem dicte penitencie & carceris ut in detestacionem veteris erroris
portent perpetuo duas cruces de filtro crocei coloris aliqui simplices aliqui duppli-
ces prout sunt superius designate, unam antierius in pectore, & aliam posterius inter
spatulas, sine quibus prominentibus seu apparentibus extra domum vel intra de ce-
tero non incedant, quarum quantitas sit duorum palmorum & dimidii in longitudi-
ne brachium unum, & duorum palmorum aliud brachium, scilicet transversale,
habeatque utrumque brachium trium in se latitudinem digitorum, easque continuo
reficiant & innovent si rumpantur aut deficiant vetustate. Visitentque singulis an-
nis quamdiu vixerint ecclesiam sancti Stephani Tholose in festo invencionis ejus-
dem, & ecclesiam sancti Saturnini Tholose in octabis pasche, & missam majorem
& sermonem si fiat ibidem audiant utrobique. Confiteantur insuper peccata sua ter
in anno, scilicet ante natale pascha & pentecosten, & in eisdem festivitibus com-
municent nisi abstinerint de consilio proprii sacerdotis. Singulis vero diebus domi-
nicis & festivis missam parochialem audiant ex integro, & sermonem qui fiet in lo-
cis in quibus fuerint, nisi legitime aut racionabiliter valeant excusari, & ab omni
171. opere fervili abstineant diebus dominicis & festivis, officiisque publicis suo vel al-
terius nomine non fungantur. In adventu Domini in cibo quadragesimali jejulent.
Divinaciones & sortilegia non observent. Usuras vel rapinas non exercent, & re-
stituunt si ab aliquo receperint. Preterea persequantur hereticos quibuscunque no-
minibus censeantur, & credentes & fautores & receptatores ac defensores eorum ac
pro heresi fugitivos, fidemque catholicam & personas ecclesiasticas ac jura ecclesia-
rum & officium inquisitionis heretice pravitatis pro viribus tueantur. Nec non fa-
ciant peregrinaciones quas ex nunc eis injungimus que in literis concedendis eisdem
plenius continebuntur, quas literas super premissis omnibus ipsos volumus & preci-
pimus petere & secum habere, ut per hoc sciant que tenentur facere & à quibus
debeant abstinere. Retenta nobis & nostris in officio inquisitionis successoribus
plenaria potestate personas superius nominatas & quamlibet earundem reducendi seu
revocandi ad murum predictum etiam sine alia nova causa, nec non addendi & di-
minuendi mitigandi seu remittendi in predictis, si & prout nobis aut ipsis nostris suc-
cessoribus visum fuerit expedire.

Modus seu forma abjurandi heresim in sermone.

NOs Petrus Raymundi dominici, Petrona uxor ejus de borno, Arnaldus Yfar-
ni filius Geraldi Yfarni de Villamuro, Raymundus de bosco, Guilielmus
de bosco fratres & filii quondam Guilielmi de bosco, Guilielmus de bayssanis filius
quondam Johannis de bayssanis de borno dyoecesis montis albaní, Petrus aymonis,
Johannius aymonis, Helyas aymonis fratres & filii predicti Petri, Helyas garini,
Stephanus Garni, Bartholomeus de Vineis, Johanna uxor Stephani garini, Huga
uxor Johannis Roana, Bernarda uxor quondam Guilielmi Mathci, Agnes uxor
Bartholomei de vineis, Stephanus de vineis, Johanna uxor quondam Petri de Ara-
gone, Peyronella uxor Helye garini, Raymunda uxor Stephani de vineis de alzo-
na dyoecesis Ruthenensis, Jacobus de cardonaco dyoecesis albiensis, Petrus de gau-
done aliter cognominatus de la mafuga dyoecesis auxitane, P. lucensis de galecia.
Om-

Omnes & singuli suprascripti viri & mulieres ad recipiendum penitenciam pro commissis hic presentes constituti in iudicio coram vobis domino Johanne archiepiscopo Tholosano & inquisitore & vicariis seu commissariis delegatis superius nominatis sacrosanctis Dei euangeliis positis coram nobis, Abjuramus penitus omnem heresim extollentem se adversus fidem catholicam Domini Jesu Christi & sancte Romane ecclesie, omnemque errorem atque credenciam hereticorum cujuscunque secte dampnate quibuscunque nominibus censeantur, & specialiter secte illorum qui dicuntur Valdenses seu pauperes de Lugduno, & specialiter & expresse ego P. lucensis hispanus sectam illorum qui dicuntur & sunt pseudoapostoli quo ad nomen & habitum & vivendi ritum à communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentem, & quo ad omnia in quibus ab obediencia Romane ecclesie & apostolice sedis & à sana doctrina in aliquo deviat aut discordat. Abjuramus quoque omnem favorem seu fautoriam & receptacionem & defensionem omnium predictorum & sequacium ipsorum errancium in predictis seu in aliquo predictorum, sub pena que de jure debetur relapsis in heresim in iudicio abjuratam. Item promittimus & juramus nos pro posse nostro persequi & detegere seu revelare & facere capi & reddi inquisitoribus heretice pravitatis hereticos & credentes & fautores & receptatores ac defensores eorum & pro heresi fugitivos quandocunque & ubicunque sciverimus vel audiverimus eos esse aut aliquem de predictis. Item promittimus & juramus nos tenere & servare & defendere fidem catholicam Domini Jesu Christi quam sancta Romana ecclesia predicat & observat. Item promittimus & juramus quod parebimus & obedientes erimus mandatis ecclesie ac vestris & successorum vestrorum, & quod recipiemus & pro posse nostro complebimus penitenciam quam nobis duxeritis injungendam, & quod nunquam fugiemus nec nos absentabimus contumaciter aut scienter.

171. b.

Johanninus Aymonis.

Johanninus Aymonis filius Petri Aymonis oriundus & habitator de Alzona dyocesis Ruthenensis, sicut per ejus confessionem factam in iudicio **iiii**^{or} ydus Augusti anno Domini **m**^o. **ccc**^o. **xx**^o. legitime constat, **x**. anni erant tempore confessionis sue quod quadam nocte vidit quendam hominem extraneum in domo patris sui qui cenavit & jacuit illa nocte ibidem, & tunc nescivit quis erat nec nomen ejus. ¶ Item per duos annos post invenit & vidit quendam alium in domo patris sui qui vocabatur Magister Bartholomeus, & erat de caiarco, cujus verba & moniciones audivit, & inter cetera incantavit ipsum Johanninum quod non revelaret alicui quod ipsi venirent illuc vel quod vidisset eos, & ipse promisit quod non faceret, & tunc ipse perpendit & credidit quod ideo volebant revelari nec sciri quia timebant quod caperentur si scirentur, & audivit à Guilielma sororia sua uxore Johannis Aymonis fratris sui quod Huguetus Garini erat socius dicti Bartholomei & à dicta Guilielma similiter audivit dici quod ille alius homo extraneus quem prius viderat in domo sicut dictum est supra vocabatur Johannes de Cernone, & erat de secta & societate predicti Bartholomei, & ipsi inter se vocabant se fratres, & volebant revelari aliis. ¶ Item anno presenti confessionis sue in quadragesima preterita venerunt ad domum suam & patris sui duo homines, quorum unus vocabatur Arnaldus de Cernone & nomen alterius nescivit, & jacuerunt ibi & cenaverunt, & post cenam audivit verba & moniciones dicti Arnaldi, & tunc ipse perpendit quod dictus Arnaldus erat de secta & societate predictorum Johannis de Cernone & Bartholomei. ¶ Item dictum Huguetum Garini credebat esse de secta & societate predictorum qui vocant se fratres. ¶ Item predictos homines credebat esse bonos, set nesciebat ipsos esse Valdenses, nec de aliqua secta reprobata, set credebat eos esse sicut alios Christianos. ¶ De predictis non venit ad confitendum nec revelandum ea donec fuit citatus.

De predictis autem non venit ad confitendum donec fuit per alios nominata & postmodum vocata, & à principio fecit confessionem palliatam & diminutam donec fuit detenta in carcere aliquibus diebus.

183.

Petrus lucensis oriundus de civitate lucensi in provincia Galecie ultra Conpostellam filius quondam Viviani de civitate lucensi, sicut per ipsius confessionem factam in iudicio legitime constat, recognovit quod viginti anni erant jam elapsi quod incepit tenere ordinem illum & vitam illam que dicitur vita apostolorum in paupertate euangelii, & ex tunc tenuit pro posse suo secundum fragilitatem suam ex quo fuit informatus per Richardum lombardum de Alexandria, qui dictam vitam & ordinem tenebat, quamvis ipse Petrus audivisset dici & crederet ita esse quod ecclesia Romana condempnaverit & reprobaverit ordinem illorum apostolorum, & credebatur etiam quod tales apostoli essent condempnati & persecuti per prelatos & religiosos, & per inquisitores heretice pravitatis, maxime in Lombardia, quamvis etiam audivisset dici multociens & à multis quod erant excommunicati illi qui dictum ordinem seu vitam tenerent illorum qui dicuntur apostoli, quibus non obstantibus ipse credebatur dictum ordinem apostolorum esse bonum, & quod illi qui tenerent ipsum & vitam illam possent salvari tenendo illam, si non facerent alia peccata contra mandata Dei. ¶ Interrogatus, si ipse credebatur quod papa & prelati de ecclesia Romana & religiosi & inquisitores facerent malum & peccarent persequendo ordinem illum & illos qui tenebant & servabant dictum ordinem, respondit finaliter post multa verba quod ipse credebatur quod faciebant malum & peccabant in hoc quia persequerentur bonum illud. Interrogatus, si credebatur quod sententia excommunicationis lata per ecclesiam Romanam vel ejus auctoritate contra illos qui dictum ordinem tenebant ligaret eos, respondit quod non, dicens quod ipse audiverat dici quod sententia excommunicationis lata indebite vel injuste per aliquem non excommunicabat alium set condempnabat seipsum, & adduxit & applicavit ad suum propositum auctoritates aliquas de beato Paulo & de euangelio, & conclusit quod ipse non reputabat se esse excommunicatum tenendo dictum ordinem, non obstante quacunque sententia, quamvis etiam audivisset dici multociens & à multis, quod Gerardus segarelli qui fuit primus inventor dicti ordinis apostolorum & Dulcinus qui eundem ordinem tenuit & multi alii de dicto ordine fuerunt condempnati per inquisitores & prelatos ecclesie Romane & relictii seculari brachio & combusti. ¶ Item requisitus, si credebatur ipsos esse salvatos sustinendo mortem propter dictum ordinem condempnatum, noluit prima vice determinate respondere quod crederet eos esse salvatos vel dampnatos. Post multos vero dies iterum interrogatus & reexaminatus super hoc respondit quod ipse credebatur quod dictus Gerardus injuste fuerit condempnatus, dicens quod unus Christianus maxime quando est clericus literatus & intelligens scripturam sanctam non debet tradere ad mortem alium Christianum. ¶ Item multa de scriptura sancta exposuit coram inquisitore secundum suum intellectum ad mordendum statum ecclesie, in quibus multa continentur erronea, & inter cetera dixit & exposuit quod quando paupertas fuit mutata ab ecclesia per sanctum silvestrum, tunc sanctitas vite fuit subtracta ecclesie, & dyabolus intravit in socios sancti Silvestri in hunc mundum. ¶ Item quod duplex est paupertas, quedam perfecta quam tenuerunt apostoli & omnes illi qui secuntur & imitantur eos, videlicet nichil habere nec in proprio nec in communi, dans intelligere de se ipso & sibi similibus. Item est paupertas imperfecta, sicut est religiosorum vivencium secundum regulam sancti Augustini & sancti Benedicti, qui habent possessiones & divicias in communi, & tales religiosi si non sunt perfecti in paupertate, quia habent domos ad manendum, & in communi necessaria ad comedendum & bibendum. ¶ Item dixit quod duplex est ecclesia, videlicet spiritualis & carnalis, spiritualis autem ecclesia est in hominibus qui vivunt in paupertate perfecta & in humilitate & in obedientia spirituali ad Deum, sicut

183.^b

sicut sunt illi qui imitantur vitam apostolorum & Christi. Carnalis autem ecclesia est illorum qui carnaliter & in deliciis carnis vivunt & in divitiis & in honoribus & in pompa & in gloria, sicut sunt episcopi & prelati ecclesie Romane qui non abrenunciant illis que possident, & bona ecclesie dant parentibus consanguineis & amicis. ¶ Istam autem ecclesiam dixit esse illam ecclesiam carnalem de qua loquitur Johannes in apocalipsi, quam vocat babilonem magnam meretricem. ¶ Item est illa bestia de qua loquitur ibidem Johannes, que habet septem capita & decem cornua, quia habet septem peccata mortalia & non servat decem precepta. ¶ Item est illa mulier de qua loquitur ibidem Johannes que habet calicem aureum in manu sua plenum abhominacionibus, de quo potat omnes gentes, quia ecclesia Romana habet aurum, & calicem aureum plenum abhominacionibus peccatorum. ¶ Item exponit duplicem statum ecclesie, ubi inter cetera dicit quod non potest esse sanctitas ubi non est vera paupertas. Unde ex quo mutatus est sub Silvestro papa status paupertatis Christi & apostolorum est ablata sanctitas.

¶ Predictus Petrus postmodum in iudicio requisitus quod juraret de veritate dicenda reddidit se multum difficilem ad jurandum, dicens quod timebat consciencie sue & dicens inquisitori quod videret & caveret sibi quod non peccaret faciendo ipsum jurare, quia in euangelio Deus prohibuerat jurare. ¶ Item postmodum post aliquos dies predictus P. requisitus in iudicio quod juraret super veritate dicenda noluit & penitus recusavit jurare, dicens quod penitebat eum quia juraverat alias coram inquisitore & credebat peccasse jurando, dicens quod consciencia sua erat firmata quod non juraret, & in ista pertinacia stetit per mensem & amplius, dicens quod beatus Jacobus in canonica sua & Christus in euangelio prohibuerant jurare, & legit ibidem verba beati Jacobi in canonica epistola & verba euangelii. Cumque sibi fuisset dictum & expositum quod apostolus Paulus juravit, & angelus, & quod ecclesia catholica statuerat quod licitum erat jurare pro veritate asserenda, & statutum ecclesie erat quod quicumque juracionem superstitione dampnabili respuentes jurare noluerint, ex hoc ipso heretici iudicentur & penis talibus debitis percellantur. Dicitur Petrus jurare penitus recusavit predictis non obstantibus, dicens quod facere tale statutum vel talem ordinacionem videbatur sibi erroneum. ¶ Interrogatus, si ipse credebat quod papa Vicarius Christi posset facere statutum & ordinacionem ad quam teneretur ipse & alii Christiani, cum papa habeat potestatem ligandi & solvendi in terris, respondit quod ipse audiverat a quodam litterato dici quod aliqui male intelligebant illa verba euangelii quodcumque ligaveris super terram &c. quia erant sic intelligenda videlicet quod sicut pontifex vel sacerdos in veteri testamento habuit iudicare inter lepram ac lepram, sic papa & episcopi non habent aliam potestatem nisi discernere inter peccatum & peccatum, id est inter illos qui sunt ligandi & inter illos qui sunt solvendi, quia aliqui capiunt de superbia phariseorum, quia mortificant animas quas non debent mortificare & vivificant animas quas non debent vivificare.

Postmodum vero post aliquos dies postquam pluries jurare recusavit pertinaciter, tandem cum difficultate consentiit quod juraret vii^o. Kalendas Novembris. Postmodum vero iiii^o. nonas Novembris predictus Petrus in iudicio constitutus interrogatus, si credebat quod dominus papa posset prohibere sub pena excommunicationis quod nullus teneret dictum ordinem illorum qui vocant se apostolos, quem predictus Gerardus segarelli dicitur incohasse. ¶ Item si credebat quod illi qui facerent contra inhibitionem predictam domini pape sub pena excommunicationis factam incurrerent sententiam excommunicationis, respondit quod sanctus Gregorius dixit, quod si aliquis excommunicat alium injuste non eum excommunicat, set seipsum condempnat.

¶ Interrogatus, si ipse credebat quod papa reprobando & condempnando ordinem illorum qui vocant se apostolos & excommunicando eos qui nolunt dimittere facit injuste, respondit quod ipse credebat quod papa in hoc facit injuste & contra Deum, quia illi qui vocant se apostolos fuerunt aprobati a Deo patre & Deus fe-

cit aliqua miracula pro eis sicut audivit dici, & credit quod verum fuit, & dixit se credere quod inquisitores & religiosi & alii qui persecuntur illos qui tenent dictum ordinem apostolorum peccant, & ad hoc adduxit verba & exempla secundum suum intellectum, & noluit jurare dicens quod nimis juraverat. Postmodum ibidem in judicio constitutus requisitus, quod ordinem illum seu illorum qui vocant se apostolos qui non est per Romanam ecclesiam approbatus quin potius reprobatus dimitteret ipsumque abjuraret, respondit quod ipse non juraret nec promitteret per juramentum quod ipsum ordinem non teneret sed simplici verbo solum. Tandem vero predictus P. in judicio constitutus anno Domini M^o. CCC^o. XXI^o. XI^o. Kalendas Marcii requisitus quod abjuraret sectam & ordinem pseudoapostolorum illorum quem in judicio recognoverat se tenuisse & servasse, quem apostolica sedes nunquam approbavit, & duo summi pontifices expresse inhibuerunt dictum ordinem teneri & servari, & quod revelaret & detegeret omnes quos sciret illius ordinis sectatores. Item quod juraret parere mandatis ecclesie Romane & inquisitorum. Hoc facere recusavit, dicens quod si juraret faceret contra conscientiam suam, & forsitan non posset tenere illud quod juraret, & sic peccaret, & perstitit in opinione sua prima quod Deus prohibuerat omnino jurare.

Tandem vix anno Domini M^o. CCC^o. XXII^o. VIII^o. Kalendas Septembris predictus Petrus lucensis de Galecia post multas exortaciones factas eidem consentit & acquievit quod abjuraret sectam illam & ordinem illorum qui dicuntur pseudoapostoli, in quantum non est approbatus ymmo reprobatus per apostolicam sedem quantum ad nomen ordinis & quantum ad habitum specialem, & quantum ad modum seu ritum vivendi à communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentem, & quantum ad omnia illa & singula in quibus à communi conversatione fidelium vita & moribus discordaret & à doctrina sana ecclesie catholice in aliquo devieret. Item quod abjuraret omnia & singula illa que dixerat & recognoverat in judicio coram inquisitore in quibus error aut falsa opinio aut doctrina erronea continebatur extollens se adversus apostolicam sedem & statum prelatorum & potestatem clavium ecclesie. Item juravit parere mandatis ecclesie & inquisitorum, abjuravitque & juravit in hunc modum. Ego Petrus filius quondam Viviani oriundus de civitate lucensi in Galecia ultra conpostellam in judicio constitutus coram religioso viro fratre Bernardo Guidonis ordinis predicatorum inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per sedem apostolicam deputato abjuro penitus sectam illam & ordinem illorum qui vocant se apostolos & sic vulgariter vocantur, quam sectam & quem ordinem Gerardus segarelli de Parma dicitur adinvenisse & primus iniciator fuisse, & quam sectam & quem ordinem Dulcinus Novariensis post dictum Gerardum cum multis sequacibus dicitur tenuisse & defendisse, quem Gerardum & quem Dulcinum audivi postmodum fuisse condempnatos tanquam hereticos per judicium prelatorum & inquisitorum heretice pravitatis & multos etiam complices eorundem & dicti ordinis sectatores, & quos Gerardum & Dulcinum & sequaces eorum & sectatores predictos credo & reputo fuisse tanquam hereticos iuste condempnatos & dampnatos, dictamque sectam & ordinem quem recognosco me tenuisse per multos annos abjuro, & promitto me de cetero non tenere ipsum quo ad nomen & habitum specialem & quo ad ritum vivendi ejusdem singularem à communi conversatione & vita fidelium dissidentem, & quo ad omnia illa & singula in quibus à sana doctrina ecclesie & à potestate clavium ejusdem ecclesie & prelatorum ejus in aliquo deviat aut discordat. Et confiteor ore, & credo corde, esse unam sanctam & catholicam ecclesiam, cui presidet sanctissimus pater & dominus dominus Johannes papa XXI^{us} extra cujus fidem & obedienciam non est salus. ¶ Item revoco & abjuro omnia illa que dixi vel asserui in judicio coram prefato inquisitore in quibus aliquis error aut falsa & erronea doctrina esse cognoscitur aut deprehenditur quoquo modo. Et specialiter & expresse abjuro & revoco id quod dixeram me credere & tenere dictum ordinem pseudoapostolorum esse bonum, & quod illi qui tenerent dictum ordinem quem audiveram reprobatum fuisse per apostolicam sedem possent sal-

salvari tenendo ipsum si non facerent alia peccata contra mandata Dei. ¶ Item id quod dixeram me credere quod sententia excommunicationis lata papa Romanus & prelati ecclesie & religiosi & inquisitores peccabant persequendo dictum ordinem & observatores ejusdem. ¶ Item id quod dixeram me credere quod sententia excommunicationis lata per Romanam ecclesiam vel auctoritate ejus contra observantes dictum ordinem non ligabat eos. ¶ Item id quod dixeram quod non reputabam me esse excommunicatum tenendo dictam sectam & dictum ordinem, quamvis audivissem dici & credere ita esse quod tenentes dictum ordinem erant excommunicati per ecclesiam Romanam. ¶ Item id quod dixeram quod quando paupertas fuit mutata ab ecclesia tempore sancti Silvestri tunc sanctitas vite fuit substracta ab ecclesia, & dyabolus intravit in socios sancti Silvestri, & postea in hunc mundum. Item id quod dixeram quod non potest esse sanctus sine paupertate. Item id quod dixeram quod duplex est ecclesia, videlicet spiritualis que est in hominibus qui vivunt in paupertate perfecta & in obediencia spirituali ad Deum, & carnalis ecclesia que est illorum qui carnaliter & in deliciis carnis vivunt, & confiteor unam tantum esse ecclesiam catholicam in qua sunt boni & mali. Item revoco id quod dixeram de ecclesia carnali, quod ipsa erat quam Johannes in apocalypsi vocat Babilonem meretricem magnam, item bestiam illam que habebat septem capita & decem cornua, item mulierem illam que habebat calicem aureum in manu sua plenum abhominacionibus de quo potabat omnes gentes. Et confiteor sanctam Romanam ecclesiam non esse Babilonem meretricem, set esse illam de qua scribit sanctus apostolus Paulus, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Item abjuro opinionem erroneam quam aliquando habui & tenui credendo quod jurare in judicio pro veritate dicenda erat peccatum, & credendo quod omne juramentum indistincte esset prohibitum à Deo tanquam peccatum & illicitum, & confiteor me credere quod licitum sit jurare in judicio pro veritate dicenda secundum quod sancta Romana ecclesia credidit & instituit & observat. Item revoco & abjuro id quod tenueram aut credideram quod papa Romanus non posset juste prohibere per sententiam excommunicationis quod nullus teneret aut servaret ordinem seu sectam illorum qui vocabant se apostolos.

185.

Sententia condemnationis personarum inmurandarum.

IN nomine Domini amen. Quoniam nos prefati inquisitor & commissarii superius nominati quantum ad personas & de personis infrascriptis prout nobis sunt subdite per inquisitionem factam invenimus & per confessiones vestras factas in judicio legitime nobis constat, quod tu Petre Raymunde Dominici, & tu Petrona uxor ejus de borno, & tu Arnalde Yfarni de villa muro dyocesis montis albanii, & tu Petre de gaudone alias cognominatus de la mafuga dyocesis auxitane, & tu Petre Aymonis, & tu Helyas garini, & tu Stephane garini, & tu Bartholomeus de vineis, & tu Johanna uxor Stephani garini, & tu Huga uxor Johannis Roana, & tu Bernarda uxor quondam Guilielmi Mathei, & tu Agnes uxor Bartholomei de vineis omnes de alzona dyocesis Ruthenensis, & tu Petre lucensis hyspanus de galecia dyocesis lucensis, tam graviter & tam multipliciter in crimine heresis deliquistis, sicut recitatum & lectum est vobis & vestrum cuilibet intelligibiliter in vulgari. Idcirco nos prefati inquisitor ac vicarii seu commissarii delegati vos omnes & singulos saniori utentes consilio redire volentes prout asseritis ad ecclesie unitatem abjurata receptione ac defensione hereticorum cujuscunque secte dampnate, promittentes insuper & jurantes ad sancta Dei euangelia vos tenere & defendere fidem catholicam Domini Jesu Christi, quam Romana ecclesia predicat & observat nec non persequi hereticos credentes fautores receptatores & defensores eorum ac etiam pro heresi fugitivos & detegere ac revelare eosdem ubicunque sciveritis eos esse. Jurantes in-

185.b. super mandatis ecclesie & nostris simpliciter obedire absolvimus secundum formam ecclesie ab excommunicationis sententia lata à canone qua pro culpis vestris tenebimini astricti, si tamen de corde bono & fide non ficta ad ecclesie redieritis unitatem & injuncta vobis mandata servaveritis. Et quia in Deum & contra fidem catholicam & sanctam matrem ecclesiam predictis modis temere deliquistis, nos prefati inquisitor ac vicarii seu commissarii sedentes pro tribunali sacrosanctis Dei evangelii positus coram nobis, ut de vultu Dei nostrum prodeat iudicium & oculi nostri videant equitatem, de bonorum virorum peritorum in utroque jure ac religiosorum maturo consilio vos omnes & singulos superius nominatos die & loco presentibus ad recipiendam penitentiam & audiendum diffinitivam sententiam vobis peremptorie assignatis ad perpetuum muri carcerem ad agendum ibidem pro commissis penitentiam salutarem in hiis scriptis sentencialiter condempnamus ubi panis doloris in cibum & aqua tribulacionis in potum vobis tantummodo ministrantur. Monemus autem vos omnes & singulos superius nominatos semel secundo ac tercio & peremptorie, ac precipimus vobis omnibus & singulis superius nominatis sub virtute ac debito à vobis prestiti juramenti quod absque dilacione ad murum seu carcerem muri inquisitorum Tholose talibus personis culpabilibus deputatum vos transferatis & ibidem vos personaliter includatis. Quod si monicionem nostram aut mandatum nostrum aut sententiam contempseritis seu distuleritis adimplere dicti muri carcerem non intrando aut temerarie post ingressum absque nostra seu nostrorum in officio inquisitionis successorum licencia exeundo, aut alias contra confessata seu jurata vel abjurata per vos in iudicio quocunque tempore veniendo per hoc vestram fictam conversionem vestramque inpenitentiam ostendendo, vos aut quemcunque vestrum hujusmodi ex nunc ut ex tunc tanquam perjuros & inpenitentes hereticos culpisque astrictos prioribus auctoritate qua fungimur nostra competenti monicione premissa in hiis presentibus scriptis excommunicationis vinculo innodamus, decernentes absolucionis beneficium vobis inpensum eis qui in tantam offensam inciderint ulterius non prodesse, nec non ipso facto penas alias contra tales latas à canone incurrisse. Monemus insuper semel secundo ac tercio canonicè & peremptorie, & sub excommunicationis & aliis penis canonicis, ne aliquis cujuscunque condicionis gradus seu status existat sciens aut credens vos esse tales vos recipere vel defendere, vel vobis moniciones aut mandata nostra non complentibus, aut contra confessata jurata seu abjurata venientibus consilium auxilium vel favorem scienter inpendere presumat. Alioquin in facientes contrarium in premissis vel in aliquo premissorum ista nostra competenti & canonica monicione premissa ex nunc ut ex tunc & ex tunc ut ex nunc auctoritate qua fungimur in hiis scriptis presentibus excommunicationis sententiam promulgamus, & penas alias contra tales promulgatas, à canone incurrisse eos decernimus ipso facto. Retinemus autem nobis & nostris in inquisitionis officio successoribus plenariam potestatem addendi diminuendi agravandi mitigandi vel etiam remittendi in predicta penitentia sive pena, nec non sentenciandi aliter aliquem vel aliquos de predictis si inventi fuerint scienter aut maliciose aliquid de facto heresis suppressisse seu aliquem innocentem involvisse in crimine heresis memorato.

Lata fuit predicta sententia in presenti sermone anno die & loco & presentibus testibus & notariis quibus supra.

Sententia sex personarum defunctorum in heresi Valdensium.

186. IN nomine Domini amen. Quoniam nos frater Bernardus Guidonis ordinis predicatorum inquisitor heretice pravitatis in regno Francie per sedem apostolicam deputatus, & Guilielmus de roferis doctor decretorum prior de trebocio dyocesis Ruthenensis ordinis sancti Benedicti commissarius in hac parte ex parte vicariorum in spiritualibus & temporalibus in civitate & dyocesi Ruthenensi reverendi in Christo patris domini P. episcopi Ruthenensis, per inquisitionem que fit generaliter contra omnes infectos aut notatos aut suspectos & diffamatos de heretica pravitate & per